Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31243
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

nauerat apostolus bartholomeus. Factum est autem per reuelationem uniuerso populo acclamante et omni clero ab apostolo rex polimius episcopus. et cepit in nomine apostoli signa facere. fuit autem in episcopatu annis .xx. et perfectis omnibus atque bene compositis et bene constabilitis migrauit ad dominum. cui est honor et gloria in secula seculorum amen. Incipiunt capitula de uirtutibus et passione sancti Mathei apostoli

De duobus magis. De candace eunucho. De duobus draconibus. De filio regis suscitato. De ephigenia religiosa. De passione apostoli. De monasterio ephigenie. De filio hyrtaci. De interitu hyrtaci. De successore eius qui fuit frater ephigenie. Incipit passio sancti Mathei apostoli

Quoniam deo cura est de hominibus plus animarum eorum curam gerit quam corporum. Plerumque enim accidit ut leticia corporalis cum sit temporalis in lubrico posita. et magis esse desinendo incipiat quam manendo. etiam anime tribulationem infligat. Ex ipsa enim uniuersa peccata nascuntur. et ideo dixi dominum nostrum plus animarum curam gerere quam corporum. ut ex aliquo casu natas tristicias temporales. que corporibus sunt moleste permittit immorari. quam ex ipsis eterna gaudia oriuntur. Cura ergo ut inchoauimus loquimur dei nostri de hominibus magna est. et maioribus morbis maiora gratia medicine procurat. Erant itaque duo magi zaroes et arfaxar. apud ethiopes in ciuitate eorum magna que dicitur nadauer. in qua erat rex nomine eglippus. Hunc ita ludificabant hi duo magi ut dicerent se deos esse. et credebat ei omnis populus. et ipse rex memorate urbis. Et ibat opinio eorum per totam ethiopiam. ita ut ex longinquis regionibus ethiopie uenirent et adorarent eos. Faciebant enim hominum gressus subito figi. et tamdiu immobiles stare quamdiu ipsi uoluissent. Similiter et uisus hominum et auditus a suo officio refrenabant. Imperabant serpentibus ut percuterent. quod et marsi facere solent. et ipsi incantando curabant. et ut dici uulgo solet. malignus maior reuerentia exhibetur timoris. quam benignus amoris. Cum ergo ut sepe dictum est deus hominum curam gerens. matheum contra hos apostolum misit. Qui ingressus ciuitatem cepit detegere prestigia eorum. Omnes enim quos illi figebant. hic in nomine ihesu christi soluebat. quos illi cecabant. hic illuminabat. quibus illi auditum tulerant. iste reddebat. Serpentes etiam quos illi ad percuciendos homines excitabant. hic conuertebat in somnum. et percussiones eorum facto signo domini curabat. Hunc cum uidisset ethiops eunuchus